

filiarium, apud Cæsarem accusavit. Sed non opus est, ut rerum diu præteritarum memoriam hic repetamus. Apparuit nostra ætate, quoties, & quo studio, quave contentione Rex noster serenissimus hac de re in aula Imperiali egerit. Videat, cui volupe est, illa, quæ ab Imperatore LEOPOLDO anno 1702. itemque JOSEPHO anno 1706. 1707. & a præsi- de Silesiæ reliquisque Cameræ Regiæ consiliariis 1707. 1709. proposita sunt. Exinde enim optime perspici potest, jus viæ regiæ in Lusatia superiore Regi nostro utique curæ esse, at- que eum non in perpetuum, sed ad tempus tantum pere- grinantibus, vel nostra vel inferioris Lusatiae via incedendi, libertatem dedisse.

XXIV.

Quantumvis vero memoratæ constitutionis regiæ ver- ba sat clare concepta sint, atque iis saltem, qui Quissum flu- vium non trajiciunt, permittant, ut per inferiorem Lusatiam & Muscam inprimis proficiscantur, sunt tamen, quod mi- reris, nonnulli, qui jus quoddam illustrissimo Comiti, ad quem Musca pertinet, datum esse arbitrantur, cogendi illos, qui ex Polonia & Silesia veniunt, eoque ex Saxonia redeunt, ut, neglecta Lusatiae superioris via publica, viæ inferioris Lu- satiae insistant. Verum enim vero evidentiora sunt Cæsa- rum, Regum, Electorum Principumque edicta atque re- scripta, quam, ut callidis & artificiosis interpretationibus everti possint. Equidem ea mens nobis non est, ut jus il- lustrissimi Comitis in dubium vocemus, probe gnaris, JO- ANNEM GEORGIUM I. anno 1655. disposuisse: Als begehren und gebiethen Wir dannenhero ernstlich, und wollen, daß von den Fuhrleuten und andern, wer der auch sey, welche besagte (a) beyde
F 2 Strassen

(a) Diejenigen Fuhrleute, so von der Elbe und der Orten hinanf auf Spremberg, nach Schlesien, und so wieder zurücke fahren, die den Queiß nicht berühren, auch die, welche über Zittau, Mareklissa, und Hirschberg aus Böhmischen und Schlessischen Gebürge sonst nach Franckfurth an der Oder, und selbige Derther gefahren, und also ihren Weg von Spremberg aus auf Muscan zu nehmen müssen, quæ ipsa verba in edicto allegato continentur, & satis ostendunt, illis tantum, qui Quissum non transeunt, permissum esse, ut via hac inferioris Lusatiae utantur.